



8620



Rep. XXXIII. 4. no. 98.

GEORGII ADAMI STRUVII, 6 m

D. J. U. Prof. Publ.

EXERCITATIONEM FEUDALEM  
DUODECIMAM

*De*

# JURE VASALLI IN FEUDO,

Sub

Ejusdem Præsidio

Iterum publicæ disquisitioni exponit, & quæ-  
dam ex Jure Criminali *Πινόματα*

annectit

WOLFGANGUS FRIDERICUS Stromeyer/

Ulma Sævus.

*Ad d. Novembris, Anno*

M. DC. LVII.

H. L. Q. C.



JENÆ

è Typographéo JOHANNIS NISII.

GEORGH ADAMI STRUVE  
D. P. Prof. Publ.  
EXERCITATIONVM REVM  
D. BOGECIMAN

JURE VASSALLI  
IN FEUDO

Episcopi Titidii

WOLFGANGUS BRUNNENUS  
Gronovii

Anno

V. O. J. II. G. C.  
G. C. G. C. G. C.  
G. C. G. C. G. C.  
G. C. G. C. G. C.

Q. D. B. F.

**P**latonicum dogma est mandandos esse Magistratus non iis qui appetunt, sed qui refugiunt atque averfantur: nec virum bonum tam suâ sponte, quàm necessitate coactum ad Remp. accedere. Eandem in sententiam graviter Alexander Severus, Invitos, non ambientes, dicit, in Republicâ tolerandos esse, ut memorat *Lamprid. in Alex.* Sed quæ insatiabilis & honorum & divitiarum in hominum animis cupiditas, in pretio pretium nunc est dat census honores. *Ovid. lib. 1. Fast.* Neque verò novum putes istud vitium, cum ab ipsis mundi cunabulis ortus suos repetat, nec unius tantùm terræ finibus circumscribi, quod universum pervagatur orbem. Romæ certè civitatis jus, ut ut magni æstimatum fuerit semper, olim habuisse tam clarum est, quàm quod clarissimum. Ambitum itaque sic enim audit, cum affini Simoniâ impræsentiarum, more hæctenus recepto, sed breviter, & ut Apelles in tabellâ gigantem, delineare, ac idem mecum stadium decurrentibus examinandum sistere fert animus. Faveat coeptis SS. Trias!

**V**Ox Ambitus descendit juxta *Varronem de L.L.* à verbo Ambire, quod idem est ac circumire. Solebant enim antiquissimis temporibus, cum Magistratus creandi potestas in comitiis & campo apud Populum adhuc esset, qui honores & Magistratus petebant, togâ candidâ induti, (unde Candidatorum appellatio) circumire, sin-

A 2

gulo-

gulorum penè benevolentiam aucupantes. Concilia-  
batur ea quatuor potissimum modis, Nomenclatione,  
Blanditiâ, Assiduitate & Benignitate. Nomenclationem  
vocabant, si Candidatus suo quemque salutarer nomine,  
quod quia in tanta urbis amplitudine vix fieri pote-  
rat, habebant in more positum certum servorum ge-  
nus alere, hi Nomenclatores vulgo Cicero ni Monito-  
res: Et hi docti erant domino civium occurstanti-  
um nomina memoriter suggerere, eo colore, ut illi  
non vulgariter à petitore curari sibi viderentur, gau-  
dent namque pronomine molles Auriculæ *Hor. lib. 2.  
serm. sat. 5.* Blanditia aliis est obvium non tantum pro-  
prio sed honestiore patris, fratris vel patroni nomine  
compellare, aliis vultum & sermonem gestusque omnes  
ad aliorum nutum componere. Assiduitas dicebatur  
non solum esse Romæ atque in foro, sed & in concilia-  
bulis Italiæ, in quibus cives negociandi causâ versari so-  
lebant, contendere, instare, pressare, nec committere ut  
quisquam se contentum queri possit. Denique Beni-  
gnitas explicabatur congiariis dandis, prandiis præben-  
dis, gladiatoribus exhibendis & pecuniis dividendis. Ex  
enumeratis pleraque criminis suspicione vacant, suffra-  
giorum autem emptio in vitio posita semper reputabatur.  
*Adeatur Rosin. Antiq. Rom. lib. 7. c. 8. item Cic. orat. pro  
Muranâ.* Dicitur etiam Ambitio *l. ult. C. ad L. Jul. Rep.*  
& alibi, quæ tamen revera ab illo distinguitur, discrimen  
inferius notabo.

Satis hætenus circa corticem. Nunc ad Nucleum.  
Ubi primò omnium definiendus esset Ambitus. Et sanè  
facere hoc in proclivi foret, si is uno tantum modo com-  
mitteretur. At multiformis est, & tam variæ distantesq;  
obve-

obveniunt eius species, ut in quo omnes conveniant, prater criminis conceptum invenire vix queas, adeoque hic apprimè locum habeat, quod de juris definitionibus generaliter in *l. 202. ff. de R. J.* asseritur. Eapropter haut ineptus fuerim si descriptioni distinctionem præmittam. Facio ergò Ambitum duplicem, Propriè sic dictum & Quasi. Propriè dictus Ambitus est crimen publicum §. *1. l. 1. ff. de publ. jud.* in honoribus & officiis publicis illicito modo parandis positum *l. un. §. 1. ff. ad L. Jul. Amb.* Reus est dans vel promittens. In hunc enim Ambitus nomen potissimùm quadrat, & de hoc ferè solo textus loquuntur. Nil impedit tamen, quo minus & accipientem Ambitùs accusemus *arg. l. ult. C. ad L. Jul. Repet. §. N. 123. c. 2.* Facit insuper, quod Jus Canonicum in Simoniâ sic servet, ratio autem quoad hoc in utroque subsit eadem.

Materia, rectius, Objectum sunt honores & officia publica. Non interest i. seculare munus sit an Ecclesiasticum *d. l. un. §. 1.* tametsi posteriore casu pridem in propria appellationem transierit. Nec 2. majores sint honores, an minores, mediis vel summi, namque ambitum etiam circa sceptrum & Imperii fasces committi mihi persvadeo. Sanè quo Romani olim vacantis & infamæ auctioni à Legionibus subjecti Regni receptæ licitationes appellentur, convenientius nomen non succurrit.

Formalis ratio in eo consistit, ut paretur officium illicitis mediis, ut plurimum datione vel promissione pecuniæ, quæ vox generalem significandi vim habet *l. 222. ff. de V. S.* Perinde enim est, an datum aliquid sit an saltem promissum quocunque velamento *l. ult. C. ad L. Jul. Repet.* Huic L. opponi potest *l. 19. pr. ff. de donat.* ubi is,

qui ob honorem aliquid promisit, justificatâ quasi causâ  
generi sat clarè dicitur. Antinomiam soluturus *Gotho-*  
*fredus in notis cum Castrensi d. pr.* de honore jam delato,  
contra *l. ult.* aliosque de ambitu loquentes textus de ho-  
nore demùm deferendo interpretatur. At sic nihilomi-  
nus *alleg. l. ult. verbis: neque daturus unquam postmodum*  
*fore repugnat.* Accedit *l. 1. §. 1. ff. de Pollicit.* quæ istam  
solutionem similiter improbat, non distinguendo inter  
honorem decretum & decernendum. Accipiunt alii  
*l. 19. pr. ff. de donat. cum l. 1. §. 1. ff. de Pollicit.* de honori-  
bus absque administratione, quales in nostrâ definitione  
non intelliguntur. Verùm huic responsioni minus favet  
*l. 11. ff. de Pollicit.* Quid ergo? Num amplexanda Glossæ  
sententia, quæ vult dari vel promitti pro honoribus ali-  
quid posse, modò id palàm fiat, quomodo explicat obje-  
ctas ll., secus esse, si clam & in secreto, id enim demum  
in ambitus crimen incidere. Delictum certè in se unum  
idemque est, sive palam sive clam admittatur, neque fur-  
tum manifestum minus furtum dici meretur, quàm nec  
manifestum. Si delicta ex proposito & voluntate delin-  
quentis maximè judicanda sunt, ut sunt *per l. 33. ff. de In-*  
*jur. l. 53. pr. ff. de furt. & l. 14. ff. d. L. Corn. de sicar.* exigu-  
guū in iis discriminandis hæc circumstantia usum habe-  
bit, nisi dicere velis, præsumtionem esse pro tali quod ne-  
mo propriam turpitudinem facilè publicare credatur, &  
quis sit ambientis animus ex his vel illis signis probabili-  
ter colligi queat, quod itidem tamen stat nutante talo.  
At præter spem mihi *l. 1. de Pollic.* plus negotii faceffivit,  
diutius ei non immorabor, responsum si quod datur cõ-  
modius in conflictu me prompturum pollicitans. Cœte-  
rùm hoc crimen sicuti nulli ferè imperio incognitum  
est,



est, ita quod quidem superius jam tetigi, Romano coelo  
quondam epidemium quasi malum fuisse cuius per hi-  
storias eunti ad oculum patet. O urbem venalem excla-  
mat *apud Salust.* Jugurtha, si emtorem invenerit! Tanta  
eâ tempestate (suam intelligit) honorum cupiditas ple-  
rosque invasit, ut vel coelum ruere exoptarent, dummo-  
dò Magistratum adipiscerentur, *de vit. Pop. Rom. Varro*  
Romanorum doctissimus scribit. Neque verò quod om-  
nibus aliis rebus ultima minatur, improbatissimo mo-  
ri fata adferre potuit senium, quin potius cum ætate ur-  
bis crevit, ita ut successu temporis ipsi etiam Principes  
hanc artem factitarint. Princeps fermè ex Principibus  
illis sisti potest, cui lucri bõnus est odor ex re quâlibet,  
*Flav. Vespasianus*, cujus egregium, si diis placet, speci-  
men, à *Suetonio in vita ejus* relatam cordatis citius stoma-  
chum moveat quàm risum. Immò vivit hodieque, &  
plerasque provincias, alias tamen magis, parcius alias  
infestat. Galli, ne quid de aliis populis dicam, sinistro  
hoc mercimonio tam dextrè utuntur, ut à quiritibus he-  
redes exasse scripti jure videri queant. Nimirum officia  
& Magistratus velut sub hastâ publicis venditionibus  
proscribunt, & ex justitiâ ipsâ faciunt rem promercalem,  
falsò persuasi legitimum hunc esse ditescendi modum,  
unde tantum abest, ut eos facti pudeat, ut potius ex isti-  
usmodi officiorum nundinationibus Regias arcas 46.  
coronatorum millionibus 20. annorum curriculo locu-  
pletatas plenis buccis crepent, & sic quod proverbio fer-  
tur, in mustaceo lauream quærant, male sani patriorum  
vitiorum præcones, ceu meminit *Lans. in Or. cont. Gall.*  
Contra detestati ambitum semper sunt, & meritò,  
tanquam perniciosissimam Reip. pestem, quotquot pu-  
blicum

blicum bonum curæ cordique habuere. Hinc illi reprimendo tot latæ leges, Bæbia Calpurnia, Pompeja, Tullia, & Julia, quæ postrema sive Julii Cæsaris, sive Augusti, (nam utrumque de ambitu legem tulisse constat) prioribus omnibus derogavit, atque Modestino, Alexandri Severi *συγγρόν* suâ ætate Romæ, translata ad Principem Magistratum creatione (id quod alii autoritate Taciti *lib. 1. Annal.* sub Tiberio alii serius factum esse autumant) *in l. 1. ff. h. t.* cessare dicitur, omninò quidem ut vult Bachov. *ad W. h. t.* non omninò ut rectius Cl. D. Hahn. *in observ. ad eund.* nec quicquam hic agente Antonio Matthæi, qui *in Colleg. Criminali tit. de Amb.* sententiam sibi cum Bachovio communem ampliatione suâ planè facit intolerabilem. Eò animi devenit ille, ut Principum Parastatis ambitiosos suffragio adjuvantibus, si quid promissum esset, ultrò conditionem tribuere non dubitaret, idque propter *l. un. C. de suffr.* quam idcirco per *N. 8. § 101.* sublata cupit. Etsi autem non paucos sibi in posteriore sententiâ adsentientes habeat, nos tamen eidem in interpretatione *d. l. un. C. de suffr.* suffragari non possumus, ob ea quæ tradit D. Tabor. *§ C. hujus seculi vel solo nomine laudatissimus in peculiari tract. d. suffr. ferè per tot.* Hinc sanctissima Impp. Theod. & Valent. constitutio *in l. ult. C. de L. Jul. Rep.* Hinc denique tam graviter contra mercatores potestatum disputat sacratissimus Justin. *in N. 8.* Observari verò hic velim, quod dum atro nobis lapillo signatur officiorum cauponatio, casus necessitatis exceptionem à regulâ pariat, ut Venetis exhausto ærario ad hastechnas confugisse adeò vertendum vitio non sit, de quo Bembus *hist. Ven. lib. 10. § 12.* Hæc prima & antiquissima ambitus facies erat, Insequentibus temporibus ampliore

PLURIMO

pliore

pliore vocis potestate factâ naturâ ambitûs ad alia quo-  
que porrigebatur, quæ supra quasi ambitûs nomine indi-  
gitavi. Est igitur quasi Ambitus crimen itidem publi-  
cum, ab eo qui vel munus publicum antea gestum non  
redditis administrationis rationibus repetere, vel cum  
reus aut accusator sit, domum judicis ingredi, vel novum  
vectigal instituere præsumit, admitti solitum. ff. & C. h. t.  
Constat hæc descriptio trium specierum enumeratione,  
quarum prima proximè omnium accedit ad ambitum  
proprie dictum, producta ad eundem ab Impp. Arcadio  
& Honorio l. un. C. h. t. optimo sanè consilio, ne officia-  
libus in officio grassandi copia fiat & fenestra ad nequiti-  
am aperiatur. Tantusque hujus prohibitionis rigor est,  
ut etiamsi quis per sacras literas ad munus irreperit, cas-  
satis quæ hoc modo impetrata, ad debiti solutionem pri-  
mitus urgeatur. d. l. un. C. h. t. Secunda nititur summâ ra-  
tione non corrupendi Judicis, quem dicis causa solùm  
litigator adire non putatur, ex L. Juliâ descendens l. un.  
C. h. t. Quod ad Tertiam attinet, ea similiter vel ex L.  
Juliâ vel SCto est, sæpius cit. l. un. ff. ad L. Jul. amb. Ve-  
ctigal in genere omnem censum & proventum dicit, hoc  
sensu usurpat Cic. 6. paradox. magnum vectigal parsimo-  
niam vocans; frequentius reditus ex locatione, (unde  
canoni emphyt. hoc nomen arg. t. t. si aq. vectig.) vel a-  
liâ quâcumque re fisco illatos l. 1. §. 1. ff. de publ. & vect. l.  
un. ff. de loc. publ. fr. l. 17. ff. de V. S. Præse & strictè quod  
ob vecturam mercium fisco penditur *Klocke discept. de*  
*jur. vectig. concl. 7.* Dimissâ primâ acceptione secunda  
& maxime tertia huc pertinet. Constitutio ejus de Ma-  
jestatis juribus unum est, ex quo vectigal sine Imperato-  
rum præcepto neque Præsidi, neque Curatori, neque

B

Cu-

Curia constituere, nec præcedentia reformare & his vel addere vel deminuere quicquam licet, *verba sunt l. 10. ff. de Publ. & vect. facit l. 2. & 3. C. Nova vect. inst. non poss. & c. super quibusd. 26. de publican.* Quod in infantili Romæ ætate Reges hoc jus habuerint, de eo neminem dubitare sinit *Livius lib. 1. hist.* posteris temporibus eam potestatem censoribus tribuit *lib. 40.* Ædilibus etiam *Alex. ab Alex. lib. 4. genial. dier. c. 4.*

Haftenus quid & quotuplex Ambitus sit, vidimus. Reliquum est, ut breviter quâ poenâ vindicetur, subjiciamus. Variat hæc sicut ipsum crimen variū est, variæque super eo proditæ leges. Ambitus propriè dicti ante legem Juliam mortem fuisse *Polybius nobis lib. 6. reliquit*, quod absque dubio de civili morte exaudiendum, ex *L. Juliâ* deportationem is secum trahit; *l. un. C. h. ex Scto* præter famæ dispendium 100. aureos dependit: *l. un. ff. h. ex constitutione Impp. Theodosii & Valentini-ani in l. ult. C. ad L. Jul. Repet.* quadruplò ejus, quod pro suffragio datum est, unâ cum accipiente mulctatur is, qui ejusmodi artibus provinciam regendam nactus est. *ex Nov. Just. 8. c. 8.* confiscationem, exilium & in corpus verbera atque supplicium sustinet, etiam si in administratione sordidè non versatus fuerit contra quàm vult *Cujas. ad d. N.* Quasi Ambitus primæ speciei ex constitutione Arcadii & Honorii præsens itidem deportationis poena est *l. un. C. ad L. Jul. Amb.* Secunda & Tertiâ species ex dicto Scto centum aureorum mulctâ & existimationis jacturâ punitur. *l. un. ff. h. t.* Hæc ipsa tamen existimatio, deperditâ quamvis pecuniâ restituitur, si damnatus alium ejusdem criminis convicerit. *Sapissimè alleg. l. un. ff. h.* quam ex veteri lege id hausisse argumento est

est

est *Locus Cic. in orat. pro Cluent.* Conveniunt quodammodo cum Ambitu ac proinde poenas quoque suas communicant alia crimina. Quasi Ambitus primum genus speciem præ se fert criminis residuorum: qui litigator domum judicis ingreditur, corruptenti similis habetur, violator Majestatis, qui novum vectigal imposuit. Ambitus propriè dictus dantis respectu affinem valdè habet i. Ambitionem, quæ vitium est in minorum honorum appetitu modum excedens, *Φιλοψυχία* Græcis, de quâ *Arist. lib. 4. Ethic. c. 4.* adeò, ut non rarò promiscuè sumantur. Differunt autem Ambitus & Ambitio ut latius & angustius, itemque causa & effectus. Omnis enim Ambitus ambitio est, sed non omnis ambitio ambitus: hic criminis est appellatio, illa cupiditatis. *Wes. in pand. hic. Auson. Popma d. diff. verbor. voce Ambitio.* Quanquã re penitus inspectã ambitio vicissim ab ambitu excedatur in hoc, quod illa circa minores tantum honores versetur, hujus verò objectum, quivis quibus administratio conjuncta est, sive majores, sive minores, sive medii, sive supremi commodè statui possint. Admittit insuper ambitio alios significatus, & vel in bonam partem accipitur, *locus est apud Cic. in Lelio:* In quo (Scipione) ait, majorem fuisse ambitionem, vitam tristiore, eadem planè ratione, quâ Gr. *Φιλοψυχία* *Aristoteli cit. l.* Ambitu contra quantum ego quidem scio in vitio semper posito: vel favorem & gratiam notat. Autoritatem suppeditat iterum *Cic. alicubi in epistolis:* Quod solent facere qui religiosè & sine ambitione contendunt. Sic *Sueton. in Domitiano* ambitiosas centumvirorum sententias dicit; & *Ulpian.* ambitiosa decreta decurionum. *l. 4. ff. de decr. ab ord. fac. 2. vim,* eo casu, quo petens turbam suffragio-

B 2

rum

rum causâ coëgerit *Paul. 5. sent. 30.* Si accipientem respiciam vicinum ei est Reperundarum crimen. Si utrumque spectem, admodum cognatam Simoniam apprehendo, ad quam etiam nunc recta transeundum.

Simoniam trahit appellationem à Simone Mago, cuius *Actorum cap. 8.* mentio fit ad eundem modum, quo Pilati in Credo, ut loquuntur. Istud enim hominis monstrum fidem pro quæstu habens, Petro, quem sub manuum impositione credentibus Spiritum sanctum h. e. charismata Spiritûs conferre videbat, in eommercio ea esse turpiter ratus pro simili potestate argentum obtulit, ut iterum pro lubitu distrahere posset, seu verbis utar *c. Salvator. c. 1. q. 3.* ut ex venditione signorum, quæ per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur, abominante factum, & impostorem ex justo dolore omnibus diris devovente Apostolo. *d. c. Salvator. 1. q. 3. c. Qui studet. 11. & c. Petrus. 19. c. 1. q. 1. Lancell. lib. 4. I. Jur. Can. tit. 3.*

Ex hâc nominis indagatione patescit quid sit Simoniam. Scilicet est studiosa voluntas emendi vendendive spiritualia *Lanc. d. l.* Ubi observa, verbis emendi vendendive intelligi & alios contractus onerosos, qui non gratis nec liberaliter fiunt, sed emtioni venditioni, permutationi, pacto & transactioni æquivalent *Mart. Bonacina de Simon. tom. 1. tr. 6. q. 1. n. 3. cum allegatis.*

Obnoxii Simoniam sunt emtor & venditor *c. dilectus 30. & c. consulere. 38. cum 2. seqq. h. t. c. quod constit. 6. c. 1. q. 1.*

Res spirituales ut objectum Simoniam constituunt invenio in duplici differentia, vel spirituales in se, vel spiritualibus annexas. Spirituales in se plurimæ sunt, quas ex Pontificiorum mente recenset *Bonacina de Simon. tom.*

*1. tract.*

*l. tract. 6. quest. 4.* Res spiritualibus annexas Dd. com-  
 munitur duplices faciunt, Annexas antecedenter & cōse-  
 quenter, nam quæ ab aliis affertur tertia species comi-  
 tanter annexarum, ad hanc classem non pertinet, sed ad  
 priorem, cum res comitanter annexæ revera sint spiritu-  
 ales in se. Res spiritualibus annexæ antecedenter descri-  
 buntur, quod præcedant rem sacram, seu rei sacre suppo-  
 nantur, ut vasa sacra, sacre vestes, & quæ hujus gene-  
 ris alia. Annexæ consequenter illæ sunt, quæ rem spiri-  
 tualem veluti effectus consequuntur, tales sunt beneficia.  
 Enthroniastica verò & cathedratica promotori licite  
 dantur, ut quæ certâ lege probata *N. 123. c. si quis. 3. & l.*  
*c. 10. q. 3.* Quò pertinent & diaria quæ dantur ministris  
 ordinatoris *d. N. 123. c. 16.* *Qr.* hîc an resignationes be-  
 neficiorum, in nostris terris quæ fiunt pro certo honora-  
 rio, sint Simonie expertes? Quod affirm. cum nihil  
 spirituale, sed proventus ita, sec. nros receptos, com-  
 parentur. *vid. Bruner. de collat. honor. c. 4. n. 338. & seqq.*  
 Quò etiam faciunt, quæ scribit *David à Mauden Jctus &*  
*Theologus Ecclesie Bredana: Beneficium, ait, non est jus spi-*  
*rituale principaliter sive in se, sed potius temporale percipien-*  
*di fructus, licet spirituale dicatur propter connexitatem, or-*  
*dinem & respectum, quem habet ad spirituale &c.* Seposito  
 igitur *Jure positivo Ecclesie, sive canonico, ex naturâ suâ*  
*non minus licitum est jus temporale beneficii vendere, quàm*  
*fundum, cui adhaeret Jus Patronatus, &c. in Prac. VII. disc.*  
*moral. 13. n. 2.*

Modus admittendi Simoniam non est unus: unde  
 dividi consuevit à Canonistis Simonia in Conventio-  
 nalem & Mentalem. Conventionalis (potior species) il-  
 la est, quæ in ipsum dandi vel conveniendi actum erum-

pit e. sunt nonnulli 114. c. 1. q. 1. c. cum super. 2. de confess. c.  
cum essent. 12. c. veniens. 19. & seq. 20. h. t. Mentalis, quæ  
istiusmodi exteriore actu se non prodens in animo deli-  
tescit e. tua nos. 34. & c. ult. hic: Lancell. cit. l. Magnificus  
Dn. Ungepar. Patronus & Præceptor meus aviternum san-  
ctè de venerandus in prælect. publ. ad h. t. qui hanc Interio-  
rem, illam Exteriorem & clarius & magis latinè vocitat.  
In utrâque tam divisione, quàm alterius speciei definiti-  
one habet Bonacina q. 2. n. 1. cum 3. seqq. quod desideret.  
Primò præ *δοξολογία* placet illi *επιδοξολογία*, ideoque Simo-  
niam aliam vult esse Mentalem, aliam Conventiona-  
lem, & aliam Realem. Secundo loco urget, Mentalem  
Simoniam involvere æquivocationem & accipi vel eo  
sensu quo descripta est modò, sed perperam, ut ille arbi-  
tratur, tum quod contineatur in Reali & Conventiona-  
li, tum quod jura intelligantur loqui de illâ Simonia quæ  
sub poenas Ecclesiasticas cadere possit, maximè verò,  
quod Simonia consistat in emtione venditione, cōtracti-  
bus externis, qualis hæc non est, vel accipi pro illâ actio-  
ne, quæ fit mente Simoniacâ, sed ex se & circumstantiis  
Simoniam non præfert, exemplum subjicit hoc: si Ca-  
pellanus pecuniam titulo sustentationis seu eleemosynæ  
relictam pro celebratione quotidianæ Missæ accipiat in-  
tentione accipiendi illam tanquam pretium Missæ, & in  
hoc demùm significatu Mentali Simonia locum in divi-  
sione concedit. Verùm hæc tanti non sunt, ut transfu-  
gam faciant, aut omnem respondendi copiam adimant.  
Brevitati jam litandum. Exterior Simonia contrahitur  
tribus modis nimirum cum dans munus exigit à recipi-  
entis vel lingvâ, vel manu, vel obsequio. Munus à lin-  
gvâ sunt signa benevolentia, laudes, adulatio, preces &  
in.



intercessionem in favorem illius qui rem spiritualem con-  
fert, expressè vel tacitè pactæ. A manu munus est pecu-  
nia (quo nomine non secus ac in jure civili venit quic-  
quid homines habent *c. totum quicquid. 6. c. 1. q. 3.*) ab ob-  
sequio, subjectio indebitè impensa *d. c. sunt nonnulli 114.*  
*ca. q. 1. Lancell. alleg. l.* Hic notandū Simoniā non cōmit-  
ti tradendo aliquid spirituale animo conciliandi sibi be-  
nevolentiam, & mediante illā benevolentia temporale  
commodum consequendi, spes namque etiam lucri abs-  
que pacto non inducit Simoniam: idem dicendum si  
quis vel propter obsequia sibi ante præstita, vel ob con-  
sanguinitatem alteri beneficium conferat. *Bonac. qu. 1. §.*  
*1. n. 7. 11. & 13.* Quicquid absque promissione, pacto &  
conditione permutandi pro re spirituali offertur, absque  
scrupulo Simoniacæ pravitatis recipitur, *ait c. tua nos. 346*  
*h. t.* præsertim si res data modici pretii, quantum ad per-  
sonam dantis vel accipientis, extiterit, *c. etsi quæstiones.*  
*28. eod.* quemadmodum nec is reum se facit, qui ut inde-  
bitam molestationem super quæsito jure redimeret, ali-  
quid temporale dare coactus fuerit *Lanc. d. 1.* Coeterum  
quod de modico pretio dictum, instantiam adhuc pati  
potest & parvitas pretii delictum magis aggravare vide-  
tur, dū res spiritualis eo magis contemnitur, quo minus  
æstimatur, interim tamen præsumtionem facit meræ be-  
nevolentia & gratitudinis *Bonacina quæst. 3. n. 13.* Viviani  
exceptionem, dationem & acceptionem clandestinam  
eximere non verecundantis recitasse est refutasse.  
Detracta itā larvā Simonia genium satis patere arbitror.  
Vincit autem hæc pestis (sic namque vocatur ut hæresis  
non uno in loco, rabies. *c. 2. h.* Detestabile scelus *c. 2. ex-*  
*31. d. Simon.* & piaculare flagitium *c. quisquis. 5. c. 1. qu. 1.*)  
sui

ſui magnitudine omnes alios morbos *c. ſicut 6. h. t.* unde non absque ratione Decretalium compilator primū ei locum assignavit, omnia crimina ad comparationem Simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputantur dicit *Paſchalis in c. ult. c. 1. quest. 1.* Quæ prædominans & exuberanſturpitudine facit, ut cum omnis peccator missam celebrare possit, non possit simoniacus *Lancell. cit. l. & ex quo ejus foeditas clarius elucescit, accusandi jus nulli Catholico sit præclusum c. si dominus. 3. hic. ne quidem seruo dominum, nec criminoso, nec meretrici c. tanta. 7. eod. quin præmiis ad hoc omnes invitantur c. 2. extr. h. t.* Accusari potest & dans & accipiens *c. non satis 5. c. dilectus 30. c. consulere 35. cum seqq. h. & c. quod constiterit. 6. c. 1. q. 2. nec non is pro quo sciente & consentiente alius dedit. c. Mattheus. 23. c. sicut tuis. 38 h. t.* Testes ne Simoniæ pravitas effugiat impunita, audiendi quilibet, non tamen ii, qui malignitate potius, quam justitiæ zelo adducti testimonium perhibent, ne innocentia puritas confusa succumbat. *c. licet Heli. 31. sub. fin. h.* Accusatus à Missarum celebratione arcetur, donec quid sit verius constiterit *c. accusatum. 4. & seq. eod.*

Probata denique Simonia variè cohercetur. Mentalis quidem non punitur, cum cogitationis nulla poena sit *l. 18. ff. d. pæn. & c. cogitatio. 20. dist. 1.* quoad forum scil. exterius, expiari tamen debet per poenitentiam coram Deo *c. ult. h. n. t.* Maximè igitur sola conventionalis hic attenditur. Variè dixi coherceri. Præter restitutionem enim omnium perceptorum, (etiam duplicatorum *c. audivimus 41. eod.*) sub animæ periculo faciendam *c. 2. extr. h. t.* Arcentur à dignitate Ecclesiasticâ; sicubi pretio mercati sunt & ab Ecclesiâ, in cuius contumeliam pecuniam

niam

niam vel dederunt, vel dare aut accipere voluerunt, excluduntur. *c. Presbyter. 3. c. Quos constiterit. 6. & c. Sanctior. 10. c. 1. q. 1. c. consulere. 38. h.* Suspenduntur suscipientes ordines Simoniacè ab executione & exercitio ordinum susceptorum & aliis suscipiendis *c. 2. ex tr. h. Bonac. q. 7. §. 6. n. 5. & 8.* (non ab officio & beneficio *id. n. 9.*) sicut collatores ordinum & primæ tonsuræ à collatione eorundem juxta Bullam Sixti. *Bon. q. 7. punct. 1. §. 7.* Decidunt gradu & ordinantes Simoniaci & qui Simoniacè ordinati sunt, sive à Simoniacò, sive à non Simoniacò *c. reperiuntur. 7. c. si quis Episcopus. 8. & c. statuimus. 107. c. 1. q. 1.* Vitium namque in ordinandis hærens ordinantis innocentia non excusat, sicut vicissim ordinantis hæresis ordinati innocentia non præjudicat, unde ordinatio talis misericorditer sustinetur, modo ordinatus probare possit, se nescisse, cum ordinaretur, Ordinatorem Simoniacum esse, & pro Catholico habeatur, vitæque laudabili commendetur *c. si qui. 108. cum seq. c. 1. q. 1.* In Monasterium etiam detruduntur sub perenni poenitentia qui sacerdotium munerum datione lucrati sunt *c. reperiuntur. 7. c. 1. q. 1.* Monachi & Moniales, qui per Simoniam scientes ingressum in Monasterium habuerunt, hoc est qui pro receptione aliquid dederunt, secus, si pro sustentatione, ubi non distingvendum an Monasterium pauper sit nec ne *per ea que scribit Bonacin. d. sp. 1. de Simon. q. 7. punct. 1. §. 4. n. 4.* immò qui ignorantes, post renunciationem ejus loci in ipsum vel alium ejusdem Ordinis reducuntur *c. de regularibus. 25. & c. Quoniam. 40 h. 1.* Perpetuæ infamiae damnantur, qui ut alterum ordinarerent vel eligerent, aliquid accepisse deteguntur *c. sanè. 4. c. 15. q. 3.* Denique excommunicantur, qui propter acci-

C

prien-

piendam sacerdotii dignitatem, quodlibet præmium fu-  
eriat detecti obtulisse *c. reperiuntur 7. c. 1. q. 2.* quique in  
Ecclesiastico gradu constituti aut pro baptizandis confi-  
gnandisque fidelibus, aut collatione chrismatis, vel pro-  
motionibus graduum, & generaliter pro omni eo quic-  
quid in visibilis gratiæ cōsolatione tribuitur, prætia qua-  
libet vel præmia (nisi voluntariè oblata quamvis de istâ  
exceptione adhuc dubitari possit cum particula excepti-  
va nisi in Regis Catholici Codice non inveniatur, quin  
à Concilio Tridentino *sess. 21. c. 1.* etiam spontanea oblatio  
prohibeatur) susceperint, Presbytero quatuor, Diacono  
trium, & Episcopo, quo sciente tale quidquam à subditis  
perpetratum fuerit duorum mensium excommunicatio-  
ne plectendo. *c. quicquid. 101. c. 1. q. 2.* Laici si hâc causâ  
munerunt acceptatores extiterint anathemate perpetuo  
condemnantur *c. reperiuntur. 7. & seq. d. c. 1. q. 2.* Quia  
inmò secundum Paulum II. universi & singuli, etiam si  
Cardinalatus, Patriarchali, Episcopali, Regali, Reginali  
vel aliâ quâvis Ecclesiasticâ aut mundanâ dignitatibus  
præfulgeant, quomodolibet dando vel recipiendo Si-  
moniam commiserint, aut quod illa fiat, mediatores ex-  
titerint, sententiam excommunicationis incurrunt, à quâ  
nisi à Romano Pontifice non possunt exsolvi, præter-  
quam in mortis articulo constituti *c. 2. extr. h. t.* Jure ci-  
vili, & quidem Digestor. eadem Magistratûs ac sacerdo-  
tii turpiter affectati pœna est *l. un. ff. ad E. Jul. Amb. Co-*  
*dicis,* uterque dans & accipiens à gradu sacerdotii retra-  
hitur perpetuâ infamiæ notâ *l. est elegans & ob hoc relata*  
*in Canones 31. C. de Ep. & Cler.* Novellarum verò præter  
remotionem dantis accipientis & mediatoris pretium  
datum vel promissum Ecclesiæ illi vindicatur, cuius sa-  
cerdo-

cerdo-

cerdotium affectatum fuerit, simplum quidem solum, si Clericus sit accipiens, duplum, si laicus, redditâ insuper, si promissum saltem sit promissione. *N. 123. c. 2.* Relevatur autem à poena qui complices defert. *c. 2. extr. h. t.* Et hæc pro ratione instituti brevis est Ambitus & Simonie delineatio. Auctarii loco quæri potest 1. An sacerdotium absque largitione ambire liceat. Per *alleg. l. 311 C. de Ep. & Cler.* videtur dicendum quod non. Sic enim Leo & Anthemius Imperatores: Tantum ab ambitu debet esse sepositus (Antistes) ut quærat cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profectò enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus. Verùm non impediente hæc 1. affirmativam teneo motus, prætertextus Juris Canonici, præprimis illo *Pauli ad Timoth. 3. v. 1. 2.* Quid de illâ singulari & statutariâ successorum in officiis Ecclesiasticis obligatione, quâ ad inveniendum cum viduâ aut filiâ defuncti matrimonium adstringuntur sentiendum? 2. Clarissimorum etiam JCtor. iudicio non omninò improbandum. 3. An in Pontificem Romanum Simonia cadat disputari à Canonistis solet. *vid. Bonac. q. 5. n. 2.* Quo labore facile supersederent, nisi plusquàm religioso hujus, si diis placet, solis intuitu cœcitate. Ridiculum certè videtur disputare num fieri possit, quod indices sit. Convincendo Jovi Capitolino sufficere poterant vel solæ Indulgentiarum institore Tezelio per universam Germaniam incredibili hominum damno seculo superiore exercitæ nudationes. Sed damnante nefandos quæstus ipso, qui in Concilii Tridentini Patribus reliquus erat, pudore, viget hodiè adhuc aliud spiritualis mercimonii genus, Pallii scilicet redemptio. Hoc egregius

gius Piscatoris hamus ad plerasque Christiani orbis opes conqui-  
rendas comparatus, hoc ditissima Pontificia aurifodina vena, hoc  
aureum Oeeta vellus. Constitutum quidem à Gregorio legimus, ne  
pro pallio acciperetur vel daretur quicquam. *c. novit. 3. dist. 100.* Sed  
quia non è re Curia Romana erat, abiit in paleas hic canon, neces-  
seque habet quilibet Episcopus (non Metropolitanus solum & Ar-  
chiEpiscopi sicut olim) pro eo aliquam multa florenorum millia  
exsolvere. Facile hinc subduci potest ratio quantum census 50 Ger-  
maniae, juxta Aeneae Sylvii calculum, aut collecti omnium Roma-  
nam sedem reverentium Regnorum ut *Stapletono d. Adm. Roman.*  
*Eccl. lib. 2. c. 13.* numerantur, 1017. Episcopatus abyssus Papalis fisci,  
ex hoc commento inferant, cum in vita unius hominis septies  
23000. flor. à solo ArchiEpiscopatu Moguntino Romam pervene-  
rint, testantibus *Nationis Germanicae gravaminibus.* Argute proin-  
dixit *Sleidan. lib. 13. d. St. R. & R.* neminem carius vendere linum  
suum quam Papam. Taceo annatas, de quibus ut & Indulgentiis  
ac Pallio consulatur *Nobilissimus Dn. D. Strauch. Praeceptor meus*  
*observantia decenti nullisq; seculis intermoriturus prosequendus in dis-*  
*sert. d. controvers. Illustr. circa stat. Eccles.* Non injuria quis excla-  
maverit: Quid est Simonia, si haec non est? Praeterea multi sunt ex  
ipsis Pontificiis scriptoribus, qui hoc diffiteri non possunt. Illustre  
testimonium affert *P. Jovius in Pompejo Columna;* Clementem scri-  
bit VII. expugnata Romam ut militibus satisfaceret, aurea vasa sacra  
conflasse, eaque pecuniâ non sufficiente, Caesarianis Ducibus tres  
purpureos galeros ad hastam proponendos concessisse.

\_\_\_\_\_ sunt venalia Romae

Templa, sacerdotes, altaria sacra, coronae,

Ignis, thura, preces, caelum est venale, Deusque

conqueritur *Baptista Mantuanus Carmelita lib. 3. calamit. Et ipse*

*Erasmus in colloquio de captandis sacerdotibus* Pontifices false per-

stringit, Non nescis, inquit, in plumbo sacro venas auri subesse?

Concludo *Oweni festivo sed dentato epigrammate:*

An Petrus fuerit Romae, sub iudice lis est,

Simonem Romae nemo fuisse negat.

DEO GRATIAS.

† †

nsaqpein!

150

Jus crimin. 149<sup>t</sup> -

